



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars Prima. De Ivrisdictione Et Foro Competenti. Pars Secunda. De Præeminentiis & Præcedentiis

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1691

Disc. XXVI. Neapolitana juris visitandi Monasterium. Jurisdictio delegata Ordinario loci Monasteriis Monialium exemptis, An locum habeat quando exemptio provenit ex lege foundationis; Et quid ubi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74087](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74087)

Idcirco prudentissimè, stante qualitate regionis, ac stantibus aliquibus inconvenientibus aliàs exortis, mandavit dictæ concordie observantiam, unde propterea cessante occasione ulterioris formalis discussionis, ac non visis iuribus alterius partis, quæ communicata non fuerunt, non potuit omninò maturum iudicium pro veritate desuper efformari.

NEAPOLITANA
JURIS VISITANDI
MONASTERIUM
PRO
MONASTERIO S. CLARÆ
CUM
ARCHIEPISCOPO,

Casus decisus in Sac. Congregatione Concilii pro Archiepiscopo.

Jurisdictio delegata Ordinario loci in Monasteriis Monialium exemptis, an locum habeat quando exemptio provenit ex lege foundationis; Et quid ubi eadem Monasteria habent alterum delegatum Apostolicum à quo visitantur.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 Decretum S. Congregationis Concilii.
- 3 Deratione ob quam de jure communi, ac etiam per Sacrum Concilium Tridentinum committitur Ordinarius visitatio Monasteriorum exemptorum, & num. 11.
- 4 An Conciliare decretum procedat in monasteriis subiectis Regularibus habentibus visitatorem, & num. 6.
- 5 Constitutio Gregorii XV. quid addiderit Concilio Tridentino.
- 6 De eadem conclusione de qua n. 4.
- 7 De differentia inter exemptionem dativam & nativam, ac eam quæ ex mero privilegio, & alteram quæ ex lege foundationis.
- 8 Leges adiectæ in limine foundationis sunt servandæ.
- 9 Privilegium Apostolicum quandoque attendendum est tanquam consensus præstius.
- 10 Jurisdictio delegata non adversatur exemptioni.
- 11 Deratione ob quam Ordinarius commutenda est cura clausuræ.
- 12 De casu in quo jurisdictio Ordinarii delegata circa clausuram Monialium locum habere non debet.

DISC. XXVI.

DE anno 1310. in Civitate Neapolis, Rex Robertus & Regina Sancia ejus Uxor, fundarunt ac dotarunt Insigne Monasterium Monialium S. Claræ, ibique annexum Convantum Fratrum Ordinis Minorum, qui tunc unicus & indivisus erat, Card. de Luca de jurisdic. Et foro compet.

pro ejusdem Monasterii gubernio & administratione, pluribus in ipso foundationis limine adjectis legibus per Joannem XXII. approbatis, inter quas ea fuit præcipua, ut esse deberet de Regio jure patronatus, ac immediatè subiectum Sedi Apostolicæ, omninò liberum & exemptum à quacumque Archiepiscopi jurisdictione, visitatione, & superioritate, atque ita continuata observantia dedit usque ad annum 1648. licet enim post publicationem Sac. Conc. Trid. plures Archiepiscopi in vim jurisdictionis ab eo delegatæ illud visitare curaverint, præsertim verò sub Clemente VIII. nihilominus dum hæc disputabantur, ex parte agentium pro dicto Monasterio supponebatur dictam exemptionem adhuc intactam remanere, quoniam quoad regimen, & ordinariam superioritatem, juxta legem foundationis, fuit sub jurisdictione & visitatione Generalis aliorumque Prælatorum dicti Ordinis Minorum, prius Conventualium, deinde Observantium; Et quoad Clausuram, ac alia quæ per dictum Concilium & Apostolicas Constitutiones in Monasteriis exemptis, locorum Ordinariis jure delegato competunt, talem jurisdictionem exercuit Nuntius Apostolicus residens in eadem Civitate; Cùm autem occasione revolutionum popularium, quædam pars muri Clausuræ rupturâ passa esset, subsequuta tamen illic defectio, Archiepiscopus, ista occasione sumpta, Monasterium visitare voluit, exemptione non obstante, ex delegata jurisdictione per dictum Conc. sess. 25. de Regular. cap. 5. & clarius ex Const. 18. Gregorii XV. atque se opponentibus Monialibus ac aliis, qui earum exemptionem tueri curabant, per Archiepiscopum consulta fuit Sac. Congregatio Concilii, quæ pro eo respondit, licere scilicet Clausuram visitare non obstantibus deductis ex parte Monasterii.

In hac igitur disputatione, scribens pro Monasterio circa initia Advocationis, distinguendo decretum Conciliare, à dicta Constitutione Gregorii XV. in quibus erant Archiepiscopi fundamenta, Quatenus pertinet ad primum, dicebam illud profiteri solum in hoc innovare canonum dispositionem in cap. periculoso de privil. in sexto, & clement. 2. eod. tit. in quibus, præcipuè in clementina discretis verbis declaratur, ut potestas, quæ jure delegato locorum Ordinariis conceditur in Monasteriis exemptis, & Sedi Apostolicæ immediatè subiectis, procedat in iis, quæ nullum habent Ordinarium Visitatorem, ita consulendo illis casibus, in quibus, cùm ipse Pontifex non posset per seipsum visitare, neque congrueret ab Urbe seu aliunde transmittere particulares Visitatores, per quos, utpote ad tempus in loco morantes, neque consultum esset Clausuræ casibus, qui in dies contingere possunt, præsentem seu proximum ac promptum Visitatorem exigentibus, idcirco Ordinariis tale munus demandatum est, ut advertunt Abb. num. 4. & ceteri in ead. clementina.

Hinc propterea Morales magis communiter concludunt, dictum Conciliare decretum locum non habere in illis Monasteriis exemptis, quæ ex Apostolica concessione subjacent regimini & administrationi Regularium, quoniam Visitantur à Generali, vel à Provinciali, aliisque ejusdem Religionis Prælati, ut præ cæteris firmant Sanchez ad præcepta Decalogi lib. 6. cap. 15. numer. 21. Rodriguez q. Regul. tom. 1. q. 47. a. 10. Miranda in manual. Prælator. tit. de Monialibus q. 2. a. 14. conclus. 4. Bonacina de clausura q. 6. puncto 1. Tamburin. de Jur. Abbatis disput. 24. q. 9. n. 5. & ceteri plures.

G

Et

Et quoad Constitutionem *Gregorii XV.* dicebam eam ad limites dicti decreti Conciliaris intelligendam esse, cum in aliquo ejus alterativa vel innovativa non esset, nisi circa facultatem, quæ ipsis Ordinariis conceditur procedendi ad pœnas & censuras contra exemptos, de qua, ratione privilegiorum, dubitari poterat, ut observat *Lotter. de Benefic. lib. 1. g. 24. n. 66. cum seq.*

Quamvis autem hæc deducere tanquam Advocatus, Nihilominus, ut ab initio agentibus pro hac parte insinuavi, non videbantur tuta, quoniam dicta Sac. Congregatio contrarium tenet, non attentis opinionibus Moralium, qui tanquam Regulares, in hac exemptionis materia parum probati testes videntur, utpote causam propriam potius defendentes; Potissimè verò quia Constitutio *Gregorii XV.* expressam habet mentionem Regularium hujusmodi Monasteria gubernantium, unde propterea cessat omnis difficultas, quoniam Pontifex, sciens adesse Regulares Visitatores, adhuc hujusmodi facultatem Ordinariis demandare voluit.

Deducebam secundo dictam legem adjectam in limine foundationis & à Sede Apostolica probatam super omnimoda exemptione à jurisdictione, ac specialiter à visitatione Archiepiscopi, illud præsertim observando, istam non esse exemptionem dativam, & merè privilegiativam, ut regulariter alia esse solent, in quibus strictius proceditur juxta naturam privilegiorum à jure exorbitantium, ac locorum Ordinariis præjudicialium, sed esse exemptionem nativam, in ipso Monasterii ortu impressam, non ex mera gratia & privilegio, sed ex quadam specie iustitiæ & contractus correspondenti in inter Sedem Apostolicam & fundatorem, qui fortè aliàs non fundasset, unde propterea in materia j. patronatus, receptam propositionem habemus, leges in limine foundationis, de consensu Ordinarii, vel alterius Superioris adjectas, observandas esse, quamvis juri contrarias ad *text. in cap. præterea il secundo de Iure patronatus cum concord. per Ancharan. conf. 129. Lotter. de Benef. lib. 1. g. 32. num. 2. cum sequen. Barbof. de Episcopo alleg. 70. num. 39. cum sequen. & habetur frequenter in sua materia sub *tit. de Iurepatr.**

Et in specialibus terminis legis adjectæ per fundatorem super visitatione supponitur apud *Greg. dec. 4. & 8. infra & disc. 40. & 41.* licet ex illius casus particularibus circumstantiis diversimodè determinetur, ideoque dicebam dictam Apostolicam concessionem *Innocentii XXI.* capiendam esse, non tanquam merum privilegium exemptionum, sed tanquam consensum legibus foundationis præstitum per Papam uti Ordinarium Ordinariorum, ut considerat *Gubr. conf. 192. numer. 9. lib. 2. Rot. dec. 218. num. 36. par. 6. & dec. 29. nu. 8. par. 7. rec. & frequenter.*

Vetùm pariter istud motivum, reflectendo ad veritatem, parum tutum videbatur, quoniam lex foundationis ita intacta remanet utpotè loquens de ordinaria & propria Archiepiscopi potestate & jurisdictione, cum hanc exercere dicatur jure delegito ipsius Sedis Apostolicæ, quæ sicuti quemcunque alium Visitatorem deputare potest, ita prohibenda non est prudentius id committere Ordinario, qui tanquam præfens in loco, & magis informatus, commodius cum minori sumptu has partes explicare potest.

Alia etiam magis convincenti & viva ratione concurrente, superius etiam ponderata in *Marsicana disc. 18.* quod scilicet clausuræ custodia & Vi-

sitatio, magis consideranda est formaliter, & ab extra, quàm materialiter & ab intrà, respectu scilicet cleri & populi secularis, à quo potius, quàm ab ipsis Monialibus scandala provenire soleat, idcirco congruum est, hujusmodi munus committi illis, qui jurisdictionem in eundem clerum & populum in loco habent, & coercere possunt, ut plenius in eadem *Marsicana.*

Ex alio autem fundamento, etiam cum sensu veritatis, dicebam dictam resolutionem, vel minus probabilem, vel nimium rigorosam videri, ac revera non placuit, quod scilicet, ultra Visitatores & Superiores Regulares, istud Monasterium habebat ex Apostolica delegatione in Visitatorem Nuntium Apostolicum in ipsa Civitate continuè residentem, cum familia armata & jurisdictione fortè magis ampla in clerum & populum, unde propterea cessabant omnes rationes, de quibus supra, ob quas hujusmodi munus Ordinarius per Sedem Apostolicam commissum est, cum illud explicetur per eisdem Sedis ministrum, cui ipsa Sedes omnia ejus longè graviora negotia committit, unde propterea videbatur casus specialis sub dictis regulis non cadens.

Ea etiam ratione accedente, quod ita privilegium, & lex foundationis, retorquerentur in odium, atque deterioris conditionis esset istud Monasterium adeò privilegiatum, quàm alia non privilegiata unicuique vel duplicem Visitatorem habentia, cum istud ita tribus Visitatoribus ac Superioribus subjectum remaneret, Regularibus scilicet, Archiepiscopo, & Nuncio, contra recepta principia, ut ea quæ favore introducta sunt, in odium retorqueri non debeant, atque super hoc motivo nunquam audivi responsum quæ captivare intellectum.

CAMPANIEN. JURIS VISITANDI

PRO
PP. MINORIBUS OBSERVAN-
TIBUS ET ALIIS
CUM
EPISCOPO.

Causa decisus per S. Congregationem Concilii
pro PP.

An jurisdictione à S. C. T. & Apostolicis Constitutionibus delegata Ordinariis in Monasteriis exemptis, militet ubi obstat lex foundationis approbata per Sedem Apostolicam.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 **D**ecisio Sac. Congregationis.
- 3 **P**rivilegium Apostolicum quandoque stat pro consensu approbato legum foundationis observandarum.
- 4 **C**oncilio Tridentino derogatum censetur per derogationes generales, & non requiritur mentio specialis.
- 5 **C**onstitutio *Gregor. XV.* quid addiderit Concilio Tridentino.
- 6 **S**ub legibus & dispositionibus generalibus non venit ius patronatus ex causa onerosa.

Papa